

P20f SSE Stefanie SANTELIA

I GALLIA est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt, minimeque ad eos mercatores saepe commeant atque ea quae ad effemiandos animos pertinent important, proximique sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt, quod fere cotidianis proeliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum; vergit ad septentriones. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur; pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; spectant in septentrionem et orientem solem. Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceanum quae est ad Hispaniam pertinet; spectat inter occasum solis et septentriones.

Caesar De bello Gallico 1,1

11 Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus et quo differant hae nationes inter sese proponere. In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt, earumque factionum principes sunt qui summam auctoritatem eorum iudicio habere existimantur, quorum ad arbitrium iudiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. Itaque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiores auxili egeret. suos enim quisque opprimi et circumveniri non patitur, neque, aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. Haec eadem ratio est in summa totius Galliae: namque omnes civitates in partes divisae sunt duas.

Ibid. 6, 11

13 In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo. Nam plebes paene servorum habetur loco, quae nihil audet per se, nullo adhibetur consilio. Plerique, cum aut aere alieno aut magnitudine tributorum aut iniuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus: in hos eadem omnia sunt iura, quae dominis in servos. Sed de his duobus generibus alterum est druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis inter-

sunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adulescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt, et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, de finibus controversia est, idem decernunt, praemia poenasque constituunt; si qui aut privatus aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, hi numero impiorum ac scelerorum habentur. His omnes decadunt, editur sermoneque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his potentibus ius redditur neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo aut si qui ex reliquis excellit dignitate succedit, aut, si sunt plures pares, suffragio druidum, nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considerunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt eorumque decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur, et nunc, qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo discendi causa proficiscuntur.

14. Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt; militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis ex-

citati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus Graecis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere: quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem suam peractu metu mortis neglecto. Multa praeterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et iuventuti tradunt.

15 Alterum genus est equitum. Hi, cum est usus atque aliquod bellum incidit (quod fere ante Caesaris adventum quotannis accidere solebat, uti aut ipsi iniurias inferrent aut illatas propulsarent), omnes in bello versantur, atque eorum ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambac-
tos clientesque habet. Hanc unam gratiam poten-
tiamque noverunt.

16 Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis quique in proeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant aut se immolaturos vovent administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur, quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immanni magnitudine simulacula habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent; quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut in latrocincio aut aliqua noxia sint comprehensi graviora dis immortalibus esse arbitrantur; sed, cum eius generis copia defecit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

17 Deum maxime Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximum arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. Huic, cum proelio

domicare constituerunt, ea quae bello ceperint plerumque devovent: cum superaverunt, animalia capta immolant reliquiasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos humulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

18 Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant idque ab druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt; dies natales et mensum et annorum initia sic observant ut noctem dies subsequatur. In reliquis vitae institutis hoc fere ab reliquis differunt, quod suos liberos, nisi cum adoleverunt, ut munus militiae sustinere possint, palam ad se adire non patiuntur filiumque puerili aetate in publico in conspectu patris adsistere turpe ducunt.

19 Viri, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque servantur: uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem; et cum paterfamiliae illustriore loco natus decessit, eius propinqui convenienter et, de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quaestionem habent et, si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa, prorsusque quaevis occidi frusse arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab eis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur.

Ibid. 13-19

GERMANIA omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius molli et clementer edito montis Abnoba*e* iugo effusus pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur.

2 Ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque
aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia
nec terra olim, sed classibus advehabantur qui mutare
sedes quaerebant, et inmensus ultra utque sic dixerim
adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur.

quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris,
Asia aut Africa aut Italia relictam Germaniam pete-
ret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu
aspectuque, nisi si patria sit?

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos
memoriae ex aliisq[ue] gentis est, "Eistorum deinceps
terra editum et filium Mannum originem gentis con-
ditoresque. Mano tris filios adsignant, e quorum
nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Her-
minones, ceteri Istaevones vocentur. quidam, ut in
licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis
appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilos
adfirmant, eaque vera et antiqua nomina. ceterum
Germaniae vocabulum recens et nuper additum,
quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos ex-
pulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint:
ita nationis nomen, non gentis evaluisse paulatim, ut
omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se
ipsis invento nomine Germani vocarentur.

Teatus

De origine et situ Germanorum

1-2

4 Ipse eorum opinioni accedo, qui Germaniae populos nullis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus : truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida : laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo solove adsueverunt.

1605. 4

11 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praettractentur coēunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videntur. illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coēuntium absumitur. ut turbae¹ placuit, considerunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum et coērcendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum adsensus genus est armis laudare.

12 Licet apud concilium accusare quoque et discriminem
capitis intendere, distinctio poenarum ex delicto.
proditores et trans fugas arboribus suspendunt, ignavos
et imbellies et corpore infames caeno ac palude, in lecta
insuper crate, mergunt. diversitas supplicii illuc re-
spicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puni-
untur, flagitia abscondi. sed et levioribus delictis
pro modo poena: equorum pecorumque numero con-
victi multantur. pars multae regi vel civitati, pars
ipsi, qui vindicavit¹ vel propinquus eius ex solvitur.
eliguntur in isdem conciliis et principes, qui iura per
pagos successu reuelant, petenti singulis ex clabe
comites consilium simul et auctoritas adsunt.

ibid. 11-12

18 Dotem non uxor marito, sed uxor maritus offert.
intersunt parentes et propinqui ac munera probant,
munera non ad delicias muliebres quae sita nec quibus
nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et
scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor
accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro
ad fert: hoc maximum vinculum, haec arcana sacra,
hos coniugales deos arbitrantur. ne se mulier extra
virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet,
ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur
venire se laborum periculorumque sociam, idem in
pace, idem in proelio passuram ausuramque: hoc
iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma
denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere
se quae liberis inviolata reddat, ac digna¹ quae nurus
accipiant rursusque ad nepotes referantur.

19 Ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum
inlecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae.
litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant.
paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum
poena praesens et maritis permissa: abscisis crinibus
nudatam coram propinquis expellit domo maritus ac
per omnem vicum verbere agit; publicatae enim
pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non
opibus maritum invenerit. nemo enim illie vitia
ridet, nec corrumpere et corrumphi saeculum vocatur.
melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum
virgines nubus ac cum spe vocoque uxoris senecte
transigitur. sic unum accipiunt maritum quo modo
unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra,
ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tam-
quam matrimonium ament. numerum liberorum
finire aut quemquam ex adgnatis necare flagitium
habetur, plusque ibi boni mores valent quam alibi
bonae leges.

20 In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec
corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque
mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus dele-
gantur. dominum ac servum nullis educationis
deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem
humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus
adgnoscat. sera iuvenum venus, eoque inexhausta
pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuventa,
similis proceritas: pares validaeque miscentur, ac
robora parentum liberi referunt. sororum filii idem
apud avunculum qui apud patrem honor. quidam
sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbi-
trantur et in accipiendo obsidibus magis exigunt,
tamquam et animum firmius et domum latius teneant.
heredes tamen successoresque sui cuique liberi, et
nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus
gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. quanto
plus propinquorum, quanto maior affinium numerus
tanto gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia.

bisq. 18-2c

22 Statim e somno, quem plerumque in diem extra-
hunc, lavantur, saepius calida, ut apud quos plurimum
hiems occupat. lauti cibum capiunt: separatae sin-
gulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia nec
minus saepe ad convivia procedunt armati. diem
noctemque continuare potando nulli probrum: cre-
brae, ut inter violentos, rixae raro conviciis, saepius
caede et vulneribus transiguntur. sed et de reconcili-
liandis invicem inimicis et iungendis adfinitatibus et
adsciscendis principibus, de pace denique ac bello
plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo
magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat
animus aut ad magnas incalescat. gens non astuta
nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia loci;
ergo detecta et nuda omnium mens. postera die
retractatur, et salva utriusque temporis ratio est:
deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum
errare non possunt.

23 Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam
similitudinem vini corruptus: proximi ripae et vinum
mercantur. cibi simplices, agrestia poma, recens fera
aut lac concretum: sine apparatu, sine blandimentis
expellunt famem. adversus sitim non eadem tem-
perantia. si indulseris ebrietati suggesto quantum
concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis
vincentur.

24 Genus spectaculorum unum atque in omni coetu
idem. nudi iuvenes, quibus id ludicum est, inter
gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. exer-
citatio artem paravit, ars decorum, non in quaestum
tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pre-
mium est voluptas spectantium. aleam, quod mirere,
sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive
temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac
uovissimo iactu de libertate ac de corpore contendant
victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior,
quamvis robustior adligari se ac venire patitur. ea
est in re prava pervicacia; ipsi fidem vocant. servos
condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque
pudore victoriae exsolvant.

i brd. 22-24

30 "Quotiens causas belli et necessitatem nostram
intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem
consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae
fore; nam et universi servitutis expertes et
nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum in-
minente nobis classe Romana. ita proelium atque
arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis-
tutissima sunt. priores pugnae, quibus adversus
Romanos varia fortuna certatum est, spem ac sub-
sidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi
totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec
servientium litora aspicientes, oculos quoque a con-
tacto horribilis invictates habebamus. nos terra-
rum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus
famae in hunc diem defendit; atque omne ignotum
pro magnifico est: sed nunc terminus Britanniae
patet, nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa,
et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per
obsequium ac modestiam effugeris. raptiores orbis,
postquam cuncta vastantibus defuere terrae, iam et
mare scrutantur: si locuples hostis est, avari, si
pauper, ambitiosi, quos non Oriens, non Occidens
satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari
adfectu concupiscunt. auferre trucidare rapere falsis
nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt,
pacem appellant.

XII

AD V. C. CATVLLINVM

Quid me, etsi valeam, parare carmen
 Fescenninicola*e* iubes Diones
 inter crinigeras situm catervas
 et Germanica verba sustinentem,
 laudantem tetrico subinde vultu
 quod Burgundio cantat esculentus,
 infundens acid*o* comam butyro?
 vis dicam tibi, quid poema frangat?
 ex hoc barbaricis abacta plectris
 spernit senipedem stilum Thalia,
 ex quo septipedes videt patronos.
 felices oculos tuos et aures
 felicemque libet vocare nasum,
 cui non allia sordidumque cepe
 ructant mane novo decem apparatus,
 quem non ut vetulum patris parentem
 nutricisque virum die nec orto
 tot tantique petunt simul Gigantes,
 quot vix Alcinoi culina ferret.
 Sed iam Musa tacet tenetque habenas
 paucis hendecasyllabis iocata,
 ne quisquam satiram vel hos vocaret.

14. sordidumque cepe *ego*: sordidaeque caepae (sepe *F*)
codd.; sed desideratur accusativus.

Siodorus Apollinaris c. 12

R. 285

B. ibid.

De conviviis barbaris

Inter 'eils' Goticum 'scapia matzia ia drincan'
non audet quisquam dignos edicere versus.

277. 1 additur ut *scripsi*: addidū A :- addidit ut *Burman* 2
frustra *Baehrens*: pulcras A

. 278. antlia *Salm.* (*vide Traube, Philol.* 54 (1895), 134) 1
fundit *sched.* : pen- A : reddit *Iuretus*

279. 1 'Massriannus in Hauptii annal. german. I, p. 379 sqq.
eils saibrem, skapja procuracionem pao vel skap "procure, procure";
jah matjan jah drigkan "et cibum et potum" interpretatur' Riese
2 audit A educere *sched.* : annie ded- ? uersos A

Anthologie latine 279 Sh. B

R. 285 a

B. IV ibid.

280

Calliope madido trepidat se iungere Baccho,
ne pedibus non stet ebria Musa suis.

280. *Separavit L. Mueller* 2 sobria *idem* : deb- *Pepper*

ibid. 280